

Za  
4660



F. K. 52. Abr. Calov. (12)

Za  
4660

RECTOR  
ACADEMIÆ WITTEBERGENSIS,  
**JOHANNES THILE,**  
MEDICINÆ DOCTOR, ANATOMES  
AC BOTANICES PROFESSOR  
PUBLICUS,

**CIVIBUS ACADEMICIS**

**S.P.D.**



LEGITIME  
CERTANTI.

WITTENBERGÆ,  
Typis Matthæi Henckelii, Acad. Typogr.  
ANNO CHRISTI MDCCLXV.



a. 1 Prodigiosi et raro  
Invenimus ob. Dr. Janus  
in v. d. 20. Oct. 1770  
m. 1770

K. 52. F.



Pso VICTORINI die, ante  
hoc octiduum, advenit illud horæ, qvo post  
tot certamina pro divina veritate ac oꝝodo-  
gia jam ultrà seculi dimidium suscepta ani-  
mosè atqve exantlata beneficio Agonothet-  
tæ JESU, exclamare potuit Incomparabi-  
lis Theologus, DN. D. ABRAHAM  
**CALOVIUS**, Prof. Primarius, Collegii Theologici De-  
canus, ejusdemqve ut & Consistorii Ecclesiastici Senior, Ecclesiæ  
VVittebergensis Pastor, Generalis item Circuli Electoralis Epho-  
rus huc usqve longè meritissimus, Collega hactenus illustris, VICI!

*Tentant sua prælia, corpus, mundus, & hostis,  
Dæmon malus: hæc fugere, & fugare, par est.  
Victoria secura, salubris, & quieta;  
Victoria, qvæ sola potest vera vocari,*

obtenta fide est ab ABRAHAMO nostro. Gratias agamus  
Numini verendo immortales, qvòd æternæ lucis copiam splen-  
denti jubare ac inextinctum cœlestissimæ religionis sidus clemen-  
tissimè indulxit, multo ab hinc tempore per BUGENHAGIOS,  
seu POMERANOS, EBEROS, ÆGIDIOS HUNNIOS, LYSE-  
ROS, MYLIOS, BALDUINOS, RÖBEROS, & CALOVIOS,  
Antistites sinceros & gravissimos. Ne nunc de pluribus comme-  
moremus, solus instar omnium LUTHERUS meruit Theander, ut  
post centum quadraginta Annos, hebdomade superiori proximâ  
expletos, recordemur sepulturæ Viri principis, à Rectore Academiæ  
ad id temporis indictæ: *Non dubium est Reverendum Virum,  
D. Martinum Lutherum, Patrem & Preceptorem nostrum cha-  
rissimum divinitùs excitatum esse, ad repurgandum Evangelii mi-  
nisterium, & monstrandum Filium Dei, ut Deus immensâ misé-  
ricordiâ subinde missis bonis Doctoribus Evangelii lucem Ecclesiæ  
restituit, depulsis tenebris.* Hoc beneficium Dei agnoscendum est,  
& cum Deo habenda est gratia, tūm verò amandi illi ipsi Legati  
co-



cœlestes. - Doleamus igitur, eum ex hac nostrâ consuetudine evocatum esse, & oremus Filium Dei, Dominum nostrum JESUM CHRISTUM, ut Ecclesiam hanc clementer servet! Est profectò, quæ sollicitos nos reddat, rabies, ab Oriente pariter ac Occidente contrâ JESUM, & illius repurgatos confessores invalescens, nihil non ulterius ausura, uti ad conceptæ spei exitum consilia deducat immanissima. Nec pipulo hæc differendæ minæ, post paullò prodituræ, cum non sumes avertendo amplius, quam tam erupturæ sint in tempestatem, quæ coagulantur passim, velut nubes. Effusissimo ardoris pietatis studio propitiandum Numen est, ut apostolus μηχανῆς appareat, & ærumnis intercedat miserorum. Nos interea ad exponendum vitæ cursum memorabilem Calovianum seruum, per summa tantum capita, ob dicendorum molem, collecturi hæc, quæ more Academico, ad indictivi funeris programma revocari debent. Neque enim suo defuturus die, qui Caloviana merita deprædicet amplissime, encomiastes est. Adspexit lucem Noster in Borussia Ducalis oppido Morungæ, horâ quasi primâ pomeridianâ, die sextodecimo Aprilis, Julian. comput. Anno Chr. cl. loc. XII. Patre natus Nobili Spectatissimoque Viro, Dn. PETRO KALAM/ Serenissimis Electoribus Brandenburgicis Morungæ quondam Rationali Scribâ; Matreque Fœminâ Clarissimâ, CATHARINA, Morungani Consulis Prudentissimi, DN. DANIELIS SPIESSEN / filiâ, ex nobili RADA VIORUM genere oriundâ. Ominus ABRAHAMI nomen, quod in sacro sancto fonte reportavit, tacitos suggessit ipsi sâpè in adversis ac secundis rebus stimulos, ut veræ pietatis fidei que semina imbiberet hoc citius, quod certiora in Parentibus exempla felicissimè imitabatur. Variâ naturæ atque caluum obstacula opponebantur tenero; jam quippe infans obvolutus fasciis repertus extra cunas, aliorum deportatus: jam pulvinis tantum non ad suffocationem interclusus: jam sermonis usu expeditiore in octavum usque annum nondum adeò gavisus. Superavit omnia in columnis adgubernante providentiâ Cœlesti, & assiduo labore, cum suopte genio, tunc dexteritate formatoris optimè de se, de aliis non paucis meritati, Dn. DANIELIS ULICHII, compendiosiore methodo (quæ usu potius, quam præceptorum onere, per exercitia omnis generis & colloquia absolvitur,) instituentis. Artificium hoc

illi

illi æmulentur, qvi per tot ediscendorum sæpenumerò absurdissimorum , certè minùs necessariorum , Labyrinthos & anfractus excarnificare juventutem solent literariam. Mirificè profecit speciminibus scribendi, declamandi, transponendi, differendi, & agendi A BRAHAMUS ; ut ætatis anno duodecimo amandaretur in Gymnasium Thoruniense , ac sub Viris aliquot celebribus ( qvos longum sit cum titulis & meritis adducere hic loci, ) admirabiles progressus ficeret. Non impar enim habitus Academiæ, missus est Regiomontum Anno cl<sup>o</sup> l<sup>c</sup> XXVI. concreditusque patrocinio VVEJERI, Ordinis Philosophorum Senioris ibi olim venerandi, & Historiarum, acroafibus Domini SAMUELIS FUCHSII, Eloquentiæ Prof. Publ. Clariss. KRACKOVICIO, FABRICIO, SAMUEL BOHLIO, WEGEGERO, & EIFLERO, Academiæ Regiomontanæ Patribus tum Celeberrimis adhærens perindustrius in publico auditor & privato ; ut natus annos vix septendecim non sine plausu pridiè, quàm Genitrix damnata voti ( nam id semper in optatis habuit, ) beatè exspiraret, concionaretur. Per sex annos integros communis convictorii Electoralis usus liberalitate retulit non simplex beneficium à Borussiæ Supremo ac Augusto Duce, DN. GEORGIO VVILHELMO, Imperii tum Septenviro; à qvo, cum Fratre amantissimo, majore natu FABIANO, non solum stipendio perpetuo, quod studiis navaret operam, sed & Nobilitate, pluribusque auctus dignitatibus clementer fuit. Lingvis Romanæ, Græcæ, ac Orientalibus, præterea Philosophiæ Theoreticæ, in primis Physicæ, ut & Matheſi ſedulò incubuit, ad ornamentum usque. Gloriari ſuo quodam potest privilegio Borussia præ cæteris Germaniæ provinciis Regnisque exterris, de Mathematicorum principum, COPERNICI, HEVELII, EICHSTADII, KRÜGERI, LINEMANNI, excellentiâ & numero. Linemann, inquam, ita usus est familiaritate, ut ſe totum atque diu illi traderet, coniungeretque lectiones publicas freqventer Dn. D. DANIELIS BECKERI, Medici ac Physiologi insignis, & Botanicen ſimul excoletret. Nec intra ſe abſcondidit tot conquisitas doctrinarum ac ſcientiarum opes; veritatem in aliorum usūs, & exeruit legendo, disputando. Philosophicos honores reportavit à Spectabili WEJERO ſuo, Anno cl<sup>o</sup> l<sup>c</sup> XXXII. ornatus hoc epiphonomate:

Non-

*Nondum complēsti qui bis duo lustra, Magister*

*Audis, post quintum non mihi Doctor eris?*

Haud multò pōst ab Ordine Philosophorum benevolentissimè receptus inter reliq'os adscriptos nobilem ambivit famam editis ex omni Mathematicarum rerum penu qvæstionibus, cum aplausu Linemanniano inter admiranda Philosophica relatis. Prolixissimus & non unius clepsydræ futurus labor esset, si tabellas, disputationes, methodos, collegia (nam minima non curat Prætor,) variosq've alias tractatūs sigillatim nunc delineare, niteremur. Theologica, in qvorum decus indies enitescebat, usq've ad invidiam, tangemus potius. Theologorum summi per Borussiam æstimabantur isthoc tempore potissimum **JOHANNES BEHMIUS & MYSLENTA COELESTINUS**, Doctores atq've Professores Montis Regii egregii. Ab horum informationibus privatis publicisq've acroasisbus pendebat Nostr' ac elaborabat enixissimè, ut verteret in succum illas & ih sangvinem. Adjutus horum etiam præsidio suscepit, post communes locos Theologicos, adversus homines schismaticos hæreticosq've (verbi gratiā *Rathmannum, Pontificios, Socinum, Crellium & similes*, illustres controversias; asseruit ὁ εθοδοζιανὸς de SS. canone, de Confessione Augustana, de Epistola ad Romanos; & quis omnia enumeret? Non siccō tamen præteriri pēde debet specimen insigne *Stereomatis de Testamento Christi*, qvod Theologorum approbatione plurimorum αὐτιλέγοντες opposuit *D. Bergio*, Seniori juvenis annorum nondum duodeviginti. Solent alijs ingenia præcoccia ætatem ferre rariūs; sed adversus corporis animi q've mala omnis generis duratus genius **CALOVIO**, torosā membra & compactæ vires, indulgentiā cœlesti. A radice dedit fruticem, ab illo ramos, ab his fructus. Imitare diligens posteritas! à summa luce ac diluculo ad ingruentes tenebras immorabatur libris, literis, & meditationi, puer, adolescens, juvenis, Vir, Senex. Juventutis hæc præludia tam luculenta effecerunt, ut magnoperè conspiceretur brevi. Perillustris sanè ac Generosissimus Imperii SS. Liber-Baro & hæreditarius Dapifer, **JOHANNES ALBERTUS de VValtpurg**, Generosāq've indole Nobilissimi agnati de *Dettau*, **Dn. GEORGIUS ABEL**, & **Dn. JOHANNES DIETERICUS**, illius

B

fidei

fidei ac ephoriæ sunt à Maximis Parentibus commissi, ad reli-  
gionis incorruptæ sacra atque ad Philosophiæ Lingvarumqve  
necessariarum fontes adeò feliciter adducebantur, ut & annis  
procedentibus in magna Prussiæ columna evaderent, & ani-  
morum recordatione gratâ non agnoscerent solummodò, sed  
modis qvoq; omnibus pensarent studia Caloviana. Operam de-  
derunt nempe, ut magnifico Electorali Brandenburgico stipen-  
dio & viatico cùmularetur amplius, & cù exteras invisere Acadé-  
mias, *VVittebergensem & Salanam*, propter *HULSEMAN-*  
*NUM, GERHARDUM, LTSERUM*, aliosqve Professores  
inlytos constituisset apud animum, ad Theologiæ absolven-  
dum cursum, intra patriæ ac vicinarum regionum  
limites, ob bellicos ἀλλοπροσάλλογες per Germaniam penè  
universam motūs, retineretur. Anno cl̄ Ioc XXXIV. Septem-  
bri mense cum systaticis profectus literis *Rostochium*, Patro-  
num hospitemqve sibi concinnavit Seniorem principem Theo-  
logum, *D. JOH. QVISTORPIUM*; favore hujus plurimū  
adjutus, spacium triennii, qvod exegerat hic loci, tam utiliter  
impedit, ut scholis, disputationibus, scriptisqve Philosophicis  
ac Theologicis, privatim publice qve editis, plenisimo ad famæ  
nobilis celebritatem gradu grassaretur. Inde prodierunt subti-  
lissimæ ad generales artium ideas utiles scientiæ, *Ontologia* sci-  
licet, *Gnostologia & Noologia*; qvæ non solum in medio *rosa-  
rum* svaviter odorem exhalarunt, sed & ad ultimum Septen-  
trionis angulum, qvà finis est barbariei inter *Hyperboreos*, fra-  
grantiæ non parùm diffuderunt. nam in *Finnlandia* Ath-  
enæo *Aboënsi* typis publicis recusæ perhibentur. Anno cl̄ Ioc  
XXXVI excurrit aliquanto latius *Stralsundam*, *Gryphisval-  
diam*, *Soram*, *Fridericiburgum*, *Rotschildam*, *Hafniam* profe-  
ctus, magna nomina, *ZEEMANNOS*, *KRACKEVIZIOS*,  
*RESENIOS*, *BROCHMANNOS*, *CHRIST. MATTHIÆ*,  
*BATTOS*, Professores ac Theologos invisit; qvorum & con-  
siliis per mare regyravit Balticum in Universitatem patriam, ex-  
ceptus choris musicis (qvod genus plausum publicū signare cre-  
ditur,) à Studiosa juventute. Anno mox insecuto, die XXIL  
Junii, solenni ceremoniâ Theologiæ Doctor à *QVISTORPIO*  
renuntiatus Seniore in Rosario *Megapolitano*, & Assessor Or-  
dinis  
ishā

B

dinis Theologorum merito receptus suo apud Regiomontanos fuit. Jam anticipaverat virilis ætas ABRAHAMI, & plus quam virilia tentaverat. Arminianos, Reformatos, Pontificios, Socinianos, provocabat, refutabat, nec refugiebat BERGIO libellis voluminibusque sat prolixis. NICOLAUS HUNNIUS, ab eruditione solidâ, nervosâ, & integritate virtutæ inter ornamenta seculi ponendus, hortabatur Nostrum, ut Photinianos callidos Sophistas, Ostorodum, Crellum, Socinum ipsum, confidentius aggredieretur, & non dubiam ab his polliceretur sibi palmam. Propius cum his congressus in Polonia vicina publicatis, saepèque ad pluteum examinatis scriptis, vasto & insigni pedetentim opere crescentibus invasit, stravit, contunditque monstra. Anno clo Ic XXXIX mense Junio ad Professionem Theologicam vocatus à Rostochiensibus, non quidem apparere abnuebat, nihilominus dimitti, propter patriæ salutem, beneficiis tot quoque obligatus Principalibus, haud potuit, fatente à cancellis Brandenburgicis consiliisque primis Admistro. Nec ingratâ reticeri mente debet Magnanimitas Augusti Electoris, Serenissimi nimirum Ducis Prusæ ac Domini, DN. GEORGII VVILHELMI, qui consentientem in CALOVIIUM benignitatem pariter ac liberalitatem sovit, & iuunioris alumnū suū subditumque beneficiis Clementiæque radiis ornavit. Quæcum dissimularet Noster neutiquam, tūm Academia hæc modestissimè agnoscit, gratiasque eo nomine humilias Electorali Domui exsolvit, & HEROI in Germania, ob Generositatem, merita in suas non solum provincias latè patentes, sed in Imperii totius Principatus atque ditiones illustrissima, Incomparabili, & Alteri ACHILLI, Potentissimo Octoviro ac Domino, DN. FRIDERICO VVILHELMO, fausta omnia, & quæcumque Boni Principis vota esse possunt, pacem diuturnam, regimen exoptatissimum, longevitatem seram serio precatur, & illius gratiam feliori omne in posterum exambit. Neque obiter recogitanda tanta totque bona. Parum videbatur tutelari illi DEO, ABRAHAMUM suum per tot annos pascere ad satiem, muneribus & ordinariis, & extra ordinem beare; addere Doctoris & Nobilitatis titulos,

insignia, immunitates, sumtūs, & honestiora munia decrevit.  
Erat in facile concludere, quid factō esset opus? Deprecatus igitur Rostochiensem spartam, prætulit, qvam minime speraverat Theologiæ extraordinariam Professionem, & inaugurali disputationis publicæqve lectionis actu ita initiavit, Anno cl̄o Icc XL. ut in confessu Aulæ Procerum solenni Academicoqve BERGILUM multiplicis convinceret erroris, Kircheri, Neuvaldii, Baumgartii, ac Schefferi masculè coarguens excessus. Partes sic administravit reliqvas, ut Decanus semel iterumqve factus, sui Ordinis statuta recenseret, à Serenissimo commissis rebus in Ecclesiis districtūs Sambiani visitandis operam locaret sedulam. His modis longè didita ipsius fama nobilissimum Emporium implevit Gedanense, ut eodem vocaretur ad Professionem Theologicam, Gymnasii, & primarii Ecclesiastæ moderationem. Hoc cùm foret statu, nihil ejus unqvām intermisit, qvod ad incrementa scholæ inclytæ, religionis orthodoxæ sanctitatem, adversantium Syncretistarum maximè, confusionem facere videri poterat. Anno cl̄o Icc XLV. Thorunii conventus instituebatur Theologicus; huc (cùm qvisqve cogerentur acutissimus,) Magnifici Senatus nomine missus Noster novaturientium prurigine animadversâ, pro Confessionis Augustanae veræ sociis pugnavit animosè, ac vulgavit scripta pro Saxonis Præfulibus. Criminosisimè insectabantur ipsum inde in Polonia Summates qvidam, accusabant & in Patria deyoti partibus Samaritanis novis. Rescribebat acriter, calumniantium iniquitates depellendo, & testatiorem sui undique memoriam effiendo. Hæc dum agebantur, contigit divino nutu, ut à Serenissimo SAX. ELECT. Divo JOH. GEORGIO PRIMO, VVittebergam ritè peteretur ad Professionem Theologicam, & loco quidem tertio vacantem, mense Julio, Anno cl̄o Icc L. cùm minime opinaretur talia. Secutus jussa Numinis, quantumvis inter omnis penè ordinis & sexūs vota ac lamenta, valedixerat Dantisco, & affectâ valetudine (ut desupremis in Borussia occiperet jam laborare,) FABIANO comite fraterno, viæ se commiserat, cum Conjuge, cum liberis svavissimis, Octobri mense salvus & incolumis huc veniens, exceptus simul homoni.

norificè à Patrum Civiumqve concione. Liberalitatem sum-  
mus Pater Patriæ ac singularem copiam favoris Principalis non  
promissionibus duntaxat, sed reapse confirmavit per amplissi-  
mas largitiones. Anno insequente declaratus etiam Ecclesia-  
sticus Senator Consistorialis, & mox Generalis Ephori, RÖBE-  
RI excellenter meriti, vicarius ex parte. Anno autem quinqua-  
gesimo secundo, post Antecessoris optimi beatum obitum le-  
gitimè ab Academia, Senatu, atqve Civitate lectus Pastor ad Pa-  
rochiale Templum, & à Potentissimo SAXONIÆ Principe ad  
Superintendentis Generalis dignitatem in hoc circulo electus  
gratiösè fuit. Præsentissimum amoris & honoris magni argu-  
mentum erat, qvòd biennio vertente pòst, die Februarii deci-  
moquarto híc ab ipso Electoratu Saxonici tūm temporis Hære-  
de, Principe sanctissimæ memorie, ac Domino, DN. JOH. GE-  
ORGIO SECUNDO, solennissimè deduceretur ad inaugura-  
tionem. Quantâ fide, quanto animi fervore studioqve adim-  
pleverit tot functiones Ephori, Pastoris, Professoris, Senatoris  
sacri, & Presbyteri à tot Theologis, Collegiis, Potentioribus con-  
sulti, breviter edisseri haud potest. Curæ, conciones, lectiones,  
disputationes, libri, vasta opera, negotia alia tantùm non infi-  
nita à commissis, visitationibus Ecclesiarum, rationibus haben-  
dis, examinibus privatis, publicis, inauguralibus Candidato-  
rum actibus, consiliis profecta Academicis, loqvuntur affatim  
factura fidem. Mirum dictu, cùm assiduus consumat alios,  
exhauriatqve vires labor, ipse illum aluit: nam major semper  
ac vegetior à rebus durius cadentibus surgebat. Mirabilius, suf-  
ficere tot posse scriptis manum hominis, per annos penè sexaginta,  
cujus ope vis divina se tantoperè exeruit, ut, qvod ad *Ve-*  
*nusini* vatis verba (*vehere poëmata plaustris*) alibi notavit *A-*  
*cron*, scripserit tām multa, qvæ advehere quis plaustris possit.  
Longissimum enumeratu, & verborum quoqve opus plaustris  
foret, si singulis elogia operibus & titulos adscribere decoros li-  
bris deberemus. Alius temporis institutiqve fuerit conatus  
hic; & postulat immensus labor pro cœlestibus Oraculis intel-  
ligendis rectius solidiusqve vindicandis, ut INCOMPARABI-  
LIS CALOVIUS hoc etiam significatu audiat in posterum.  
Bella gesit calamo tām animosè, ut cum pluribus non dubita-  
ret congregandi. Concordiam periculosis copulari modis contra

C

sim-

simplicem S. S. veritatem constantissimè negabat posse ; nec à suâ impetrabat mente unquam , ut vel lato digito discederet à publicâ Confessione. Restant multa insuper avéndora , de quibus judicare nostrum non est. Exigit necesitas, ne nimiam excrescat in prolixitatem scriptio hæc funebris, domestica , & quidem quam brevissimè id potest fieri, attingere ; resectis alienis, alio commemorandis loco. Conjugium initit sextâ vice , primum quidem Anno cl̄ Ioc XXXVII. Aprili mense , thalamis in quartum annum usq;e prorogatis, tumq;e demum Novembri mense consummatis Regiomonti, cū Virgine olim Præstantissima Viri Nobilis Amplissimi q;e, DN. CHRISTOPHORI MARTINI , Serenissimo ELECT. BRANDENBURGICO à Secretis & justitiæ consiliis, ex JUDITHA SCHULZIA , sui sexus ornamento , natâ BARBARA ; qvæ , qvamvis fato admodum concesserit mature Anno cl̄ Ioc XXXIX. reliquit tamen sui similem , non nisi unicam, piissimam profectò & insignem Fœminam CATHARINAM , Viro Reverendo plurimùm Amplissimo , Excellentissimo q;e DN. JOHANNI DEUTSCHMANNO , Theologo - Doctori, de juventute ac salute Academicâ , doctrinis & exemplis vitæ utilissimis , suprà quam dici potest , meritissimo , Electoralium q;e Alumnorum Ephoro vigilantisimo , solennibus locatam nuptiis Anno cl̄ Ioc LVI. ex perperio defunctam Anno septimo post hexagesimum adulti ævi hujus. Fortunatum illâ parte reddidit Maritum optimum , qvòd præter filios , enixa filias tres , locis aliquot celebrioribus (è quibus satis sit laudasse solo nomine VVALTHERUM Nostrum , ) desponsatas. Matrimonium secundum celebravit die X. Augusti , Anno cl̄ Ioc XL. cum Virgine Nobilissima REGINA FRIESIA , Magnifici Consultissimi q;e Viri , DN. D. MICHAELIS FRIESII , Regiomontani primùm Consulis , deinde Senatoris in judicio Aulico Electoralis Brandenburgici , & tandem Præsidis Ecclesiastici Senatus , Filiâ , insigni propter & modestiam & alias virtutes plurimas , Matronâ , generoso sangvine MÜLLHEIMIORUM cretâ . Perperit hæc illi Natos Natasq;e universum octo & Parentem videbatur reddidisse felicissimum : sed videbatur. Nam VI. repetiit ab annis teneris per mortem hic , & illic Deus : Filium reliquit ABRAHAMUM , filiam REGINAM , par sine exemplo facile futurum , si fatis supervivere diutius duntaxat li-

cuius.

cuisset. ABRAHAMUS scilicet ætatis anno primo & vicesimo  
de *Passione Christi Servatoris* è memoria Ebræam recita-  
verat Oratiunculam, & multa indolis rarissimæ indicia præbue-  
rat, ut præcipuo inter multos aliosq; Philosophiæ Candidatos loco  
etiam Magister crearetur. Filia REGINA propter dotes animi,  
cùm probitate tūm intelligentiā, non simplici vehenda laude, læ-  
tis eqvidem auspiciis, sed minùs diuturnis, elocata fuit Nobilis-  
simus Consultissimusq; & Excellentissimus JCto, DN. VVIL.  
HELMO LYSERO, Rabensteinii Toparchæ, Antecessori in hâc  
Academia & Senatori, multis nec vulgaribus nominibus colen-  
do, qvæ POLYCARPI Filii unius fecit ipsum Patrem, & puerpe-  
ra ad cœlites migravit Anno cl̄ Ic LXIV. qvemadmodum &  
Frater dilectissimus triennio superiori. Fidem vix factura verba  
sint, qvantoperè afflixerint tot pignorum, tot Conjugum den-  
sata funera CALOVIIUM. Sed solidabant eum aspera, ut post  
excessum memorabilis REGNÆ suæ (qvæ mundanis valedixe-  
rat analysi beatâ, Festo ipso Pentecostes Anno cl̄ Ic LVIII.)  
seqventi denuò connubiali jungeretur fœdere cum DORO-  
THEA ELISABETHA HÜLSEMANNA, excellenti  
Virgine, Incomparabilis JOHANNIS HÜLSEMANNI (no-  
men Viri recitasse sufficit,) in Lipsiensium emporio, d. VII Ju-  
nii Anno cl̄ Ic LIX. qvam tamen post triennium, cum filio  
laudato una extulit luxitq; veheenter die XXVI. Martii.  
Completo tempore in quartum inclinavit Hymenæum, ductâ  
in societatem thori nepte maximi superiore seculo Theologi LY-  
SERI POLYCARPI, ornamento Virginum CÆCILIA,  
Jurisconsultissimo Doctore ac Canonicō Martisburgensi, DN.  
D. ENOCHO Heyland / editâ, elatâ itetum ingenti luctu pari-  
ter puerperâ d. III. Septemb. Anno cl̄ Ic LXX. cùm reliquisset  
Filium ingentis exspectationis, ABRAHAMUM alterum præcoci ad-  
modum ingenio, ætatem studiis scientiisq; supergressum mi-  
norenem, Magistrum mox à pubertate, hujus & Gieffensis Aca-  
demiae delicium, Argentorati nobile depositum: nam hâc mor-  
talitatem exuit, mœrore Patris sempiterno, Anno cl̄ Ic  
XXXIV. Nec à qvintis tamen abhorrebat thalamis, addictâ re-  
cens fide Virginis sine exemplo, CATHARINÆ ELISABE-  
THÆ; Magnifici olim ac duorum ELECTORUM SA-  
XONUM Archiatri supra modum meritisimi, Experientis-  
simi nimirum Viri, DN. D. JOHANNIS NESTERI, filiæ, d. XIII.

C 2 No-

FR. 4660

Novembris. Anno cl<sup>o</sup> I<sup>c</sup> LXVII. ex qvā trium liberorum factus Pater sustulit ANNAM SOPHIAM, JOHANNAM E-LISABETHAM & JOHANNEM GEORGIUM, & brevi singulos, iplamqve Genitricem Dominam ante ipsum hoc biennium amisi, D<sup>r</sup>. esd<sup>e</sup> (qvō ex morbo incurabili discesserat,) beatē mortuam. Aggravatā tot funeribus Charissimorum valetudine infirmus solitariusqve Senex, ut gauderet novā vitā scia, & orbitarem solaretur suam, deniqve ad sexta cominū respxit vota, & elegit V Vittebergæ partem animi dimidiam, JOHANNAM DOROTHEAM, Virginem Clarissimam, Theologi Gravissimi, canitie, scriptorum solidissimorum, pluribus c<sup>e</sup>ve meritis omnino venerandi Professoris & Præpositi, DN. D. JOH. ANDREÆ QVENSTEDII, ex SCHARFIANAgente primogenitam. Arctissimo amore illam usqve huc amplexus, prolem nullam interim suscepit, Viduam relinqens juvenutis flore pleno. Erat ABRAHAMUS Nostet interverso naturæ ordine vegetior ab ætatis anno quadragesimo ad ad septuagesimum & amplius, qvā ad virilem statum à tene- rioribus. Lethaliter febicitabat infans, alteraqve vice juvenis; trigesimo secundo anno hypochondriorum intemperie tentatus, intra proximum septennium non à malo liberari potuit affectu prius, qvā Acidularum Egranarum potu, Anno c I<sup>c</sup> I<sup>c</sup> LI. Ex eo integrā provectūs huc ætate rarō est de valetudine conquestus; nisi qvōd elapsi anni proximo autūmo post nocturnam medium gravissimus catarrhus ipsum sensūs, intellectūs, & sermonis propè usib<sup>s</sup> privare velle videretur. Exqvisitis nihilominis tām providorum Medicorum, DN. SENNERTI Nostri, & Progeneri D. VATERI sui curis adeò collegit vires iterū, ut loca publica officiūqve partes cūm in Templo, tūm in Academicis & Censorii Ecclesiastici conventibus obiret diligenter, atqve stando, qvām cubando, mori mallet. Die XXI. Februarii nuper rediit majore impetu vis mali apoplectici, qvæ in soporem præternaturalem desinebat. Intelligebatur facile, qvid inde secuturum esset. Aderat vocatus à confessionibus privatis Reverendus perqvām & Clarissimus Vir, DN. M. JOH. EABRICIUS, Archi-Diaconus ad Marianam Ædem meritissimus, qvi cum multis aliis hūc convolantibus amicis Necessariisqve, precibus, solatiis hymnisqve sacris labascentem erigebat. Inter acroamata hæc tandem acqvievit placidē pieq; circā XII. meridianam, die Februarii vigesimo & qvinto; cū in mortalitate annos transgisset LXXIV. exceptis VI. cū totidem diebus septimanis. Receptus nunc in sinum ABRAHAMI ABRAHAMUS, nuncium militiæ remisit: spectat ad triumphos, & ab manu Domini, fidelis servus permanens, exspectat diadema; postqvām munia Pastoris atq; Superintendentis apud Nos Ann. XXXIII. Professoris hīc & alibi locorum XLV. Doctoris atq; Assessoris vero Ann. XLVII. cū undevicesimā Decani vice vigil admodūm & laudabiliter adminisstrasset. Itē, itē, CIVES ACADEMICI exeqvias! NUNQVAM PATRIS SIMILIS VIDISTIS FUNUS. Hodiē post I. pomeridianam ex CALOVIANIS ædibus procedet pompa, ceremoniæ solennes concionem funebrem excipient cūm Sepultura in Parochiali Templo. Vestrum erit, tot & tanta merita CALOVIANA, tot & tanta Necessariorum nomina habere reverenter, ac prolixiore comitatu interesse audiendis & videndis. P. P. a. d. IV. Martii, Anno salutis Christianæ cl<sup>o</sup> I<sup>c</sup> XXCVI.

Pon Ea 4660 / FK



3

f





F. K. 52. Abr. Calov. (18)

Za  
4660

RECTOR  
ACADEMIE WITTEBERGENSIS,  
**JOHA**  
MEDICINA  
AC BO<sup>TH</sup>  
**LAVI**  
BRAHAM  
ANATOMES  
FESSOR



Typis I

ipogr.



K. 52. F